



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **MONOECENSIS*MONOECENSIS DIOECESIS**
AD GRADUM ARCHIDIOECESIS

EVEHITUR ADHUC ROMANAE SEDI IMMEDIATE SUBIECTA Apostolica haec atque Romana Sedes, cui divino consilio id datum est, ut universae Ecclesiae pro locis, temporibus, condicionibus mater moderaretur, non sane abnuat vestigia maiorum suorum Pontificum persequens, quin honores concedat, cum ei aut fidem religionemque fidelium remunerari placeat, aut stimulos addere ad nova coepta in Dei altissimi gloriam animorumque salutem. Quod utrumque in causa Ecclesiae Monoecensis inesse putantes, volentesque articulum I sollemnis Conventionis inter Sanctam Sedem et Principatum Monoecensem in ita die XXV mensis Iulii, hoc anno, atque hoc ipso die ratae habitae, ad exitum adducere, bene fieri censuimus, si eandem Sedem ad dignitatem archiepiscopalem eveheremus. Qua re, iis auditis quos oporteret, reque magna consideratione reputata, eorum consensum supplentes qui in hoc negotio aliquid iuris habeant, Apostolica Nostra potestate cathedralem Ecclesiam *Monoecensem* ad gradum et dignitatem archidioecesis tollimus cum iuribus talium aedium sacrarum propriis; quae tamen et Sanctae Sedi perget esse subiecta, nec sedibus suffraganeis praeerit ullis. Item sacrum Monoecensem Antistitem Archiepiscopi titulo decoramus cum iuribus atque oneribus propriis ac privilegiis, atque Canonorum Collegium ad dignitatem archiepiscopalem evehimus cum omnibus simul iuribus atque privilegiis, quae collegia talis ordinis spectant. Has vero Litteras Venerabilis Frater Edmundus Abelé ad exitum deducet, Administrator Apostolicus eiusdem Ecclesiae Monoecensis, qui poterit etiam alium legare, modo virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere nempe imposito documenta exarandi peractae rei atque ad S. Congregationem pro Episcopis sincera exempla mittendi. Contrariis nihil obstantibus. Datum Romae, apud S. Petrum, die tricesimo mensis Iulii, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo primo, Pontificatus Nostri tertio.

AUGUSTINUS Card. CASAROLI	SEBASTIANUS Card. BAGGIO
<i>a publicis Ecclesiae negotiis</i>	<i>S. Congr. pro Episc. Praefectus</i>

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*
Renatus Ausiello Lanteri, *Protonot. Apost. s.n.*

© Copyright 1981 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana